

tur Idolis falso hoc significatu, cum idola non sint verus DEUS, imò nihil sint. Hinc quando de reipsâ sermo est, an scilicet Idola propriè sint DII, respondemus, nomen DEUS non convenire Idolis propriè, sed impropriè, vel ut Thomas part. 1. quæst. 13. art. 10. loquitur, *analogicè*, quod falso DII existimentur.

§. 4. Sed misis iis, quæ per quandam analogiam dicuntur DEI, de DEO verò & qui per naturam DEUS est, impræsentiarum acturi sumus. Dari autem DEUM per naturam sive essentiam talem, qui scilicet sit Ens perfectissimum & omnium rerum causa sit, patet. *Primò* ex intuitu hujus universi, quod cum tam apto conveniente & admirabili ordine constructum sit, tam constanter & sapienter gubernetur, non solum nos deducit in notitiam primi cujusdam & supremi Entis, à quò factum sit ut gubernetur, sed testatur etiam de infinitâ ejus potentiâ & divinitate. Mundus etiam hic universus tam affabrè & pulchrè conditus & in hunc usque diem admirando ordine conservatus, neque condi neque conservari potest, nisi à summò quòdam conditore, quem DEUM appellamus. Ita argumentamur: Res, quas videmus, factæ & productæ sunt ab aliquâ causâ, nihil enim est causa sui ipsius, aliàs enim esset causa causa effectus & effectus causa causæ quod absurdum. Illa autem causa, à quâ in esse dependent, aut est prima aut secunda. Si prima, habemus quod volumus; illam enim vocamus DEUM, qui scilicet est causa rerum omnium. Si secunda, tum in ordine causarum eò usq; progrediendum, donec perventum ad primam causam. Si ad primam causam perventum, quæ non est causata ab aliò, tunc illa prima causa est primum illud summum & nobilissimum Ens, quod DEUS dicitur. Sicuti jam opifices plerumque noscuntur ex opificiis, Quis enim inspectâ tabulâ vel statuâ non statim intelli-